

deferri ex ratione illa, quod confessarius redditur suspectus de fide ex injuria, quam irrogat sacramento. De Leon., *De offic. confessor.*, tom. I, recollect. 22, n. 12; Campanil., *Diversor. jur. canon. rubric.*, 11, cap. 32, n. 5; Trasmier, *De polygam.*, lib. III, q. 2, n. 30 in fine, et latius n. 53, alique plurimi.

(49. Sed, ut refert Albic., *De inconstant. in fide*, cap. 35, n. 88, 25 Martii 1619, ab eadem S. congregatione fuit resolutum, causam hanc non spectare ad S. Officium, et ita semper fuit postmodum servatum.

(50. Cæterum, ut subdit idem Albic., *ubi supra*, et convenit auctor, n. 36, prima opinio locum sibi vindicat, quando frangens sigillum confessionis haberet aliquem errorem in intellectu, ut si diceret, licitam

esse revelationem sigilli, vel aliter ostenderet, se male sentire de ecclesiasticis sacramentis.

(51. Tum etiam procedit prima opinio, si ageretur de confessario, qui pluries sigillum confessionis fregit, idque quia ex nisce iteratis actibus insurgeret saltem levis aliqua suspicio hæresis. Albic., *citato loco*.

(52. Et demum amplectenda est prima opinio, si confessarius frangens sigillum confessionis esset homo malæ famæ, et alias de hæresi suspectus. Albic., *ead. loco*.

(53. An propter delictum hæresis licita sit revelatio confessionis, tum an aliis ex causis possit aliquando esse licita revelatio confessionis. Vide apud Albic., *loco pluries allegato*.

SIMONIA.

ARTICULUS I.

Simoniam quoad ea quæ concernunt ejus originem, naturam, divisionem, materiam et pretium.

SUMMARIUM.

1. Simonia unde sit dicta et originem traxerit? — 2. Simonia quid sit? — 3. Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. — 4. Simonia dividitur in Simoniam juris divini seu naturalis, et in Simoniam juris humani seu ecclesiastici. — 5. Simonia juris divini seu naturalis quæ sit. — 6. Simonia juris humani seu ecclesiastici quæ sit? — 7. Utraque dicta Simonia dividitur in mentalem, conventionalem et realem. — 8. Simonia mentalis quæ sit? — 9. Hæc Simonia mentalis, quamvis sit grave peccatum, nullam tamen inducit pœnam canonicam. — 10. Simonia conventionalis quæ sit? — 11. Et hæc Simonia conventionalis nullam adhuc inducit pœnam canonicam. — 12. Simonia conventionalis alia vocatur pure conventionalis, et alia mista, et quæ sit utraque. — 13. Simonia realis quæ sit? — 14. Ultra supradictas, alia additur species Simonia confidentialis, et quæ sit? — 15. Affertur ad id constitutio S. Pii V. — 16. Materia Simonia est res spiritualis, seu spirituali annexa. — 17. Per rem spiritualem quid intelligatur, ad n. 48. — 19. Per rem spirituali annexam quid intelligatur, et veniat, ad n. 20. — 21. Pretium Simonia juris divini est omnis et sola res temporalis. — 22. Pretium vero Simonia juris ecclesiastici potest esse etiam aliquid spirituale. — 23. Extra materiam beneficiorum nunquam committitur Simonia, etiamsi propria auctoritate detur spirituale pro spirituali. — 24. Pretium Simoniacum in jure vocari solet, *munus*, et quid importet? — 25. Pretium, seu munus Simoniacum dividitur in munus a manu, munus ab obsequio, et munus a lingua. — 26. Per munus a manu quid intelligatur? — 27. Per munus ab obsequio quid intelligatur? — 28. Per munus a lingua quid intelligatur? — 29. Ad Simoniam requiritur pactum aliquod expressum, vel tacitum saltem ex una parte inchoatum. — 30. Non requiritur tamen necessario pactum expressum, sed sufficit pactum tacitum, seu implicitum saltem ex una parte inchoatum. — 31. Pactum, etiamsi solum obliget ex benevolentia, gratitudine ac fidelitate, et non ex justitia, adhuc continet Simoniam. — 32. Qui dat aliquid temporale tanquam motivum alicujus spiritualis sibi reciproce dandi, committit Simoniam, quam etiam committit recipiens tale temporale, si per hoc motus illi conferat dictum spirituale, quamvis nullum aliud pactum, ne implicitum quidem interveniat. — 35. Non est Simo-

nem ab apostolis daretur Spiritus sanctus, talem mirabilem virtutem, remque maxime spiritualem vili pecuniarum pretio emere præsumebat, ut expresse habetur *Actor. VIII*, ibi: *Obtulit eis pecuniam dicens: Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum: cujus execrabilem malitiam illico increpans S. Petrus, dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniam possideri.* Perfidus enim ille execrabili avaritia repletus intendebat pecunia virtutem illam consequi, ut eandem cum quæstu et majori temporali lucro exercere valeret, ut expresse habetur in cap. *Salvator 8*, caus. 1, q. 3, ibi: « Simon Magus, qui ad fidem fide accessit, non Spiritum sanctum propter Spiritum sanctum, quo ipse erat indignus (quoniam, ut scriptum est (*Sap. 1, 5*), *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum*), sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. »

(2. Simonia « est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum pro re temporali ut pretio. » Est in re communis. Quamvis tamen alii clarius cum Suarez, tom. I, *De religion.*, tract. 3, lib. IV, cap. 1, eam definiant sic: « Simonia est sacrilegium, quo per emptionem, et venditionem, vel similem contractum res spiritualis, ut talis, pro temporali commutatur. » Sic enim comprehenditur omnis contractus, etiam innominatus. *Do ut des, do ut facias*, etc.

(3. Simonia ex sua natura est peccatum mortale sacrilegii gravissimum. *Communis*. Et quod sit sacrilegium, habetur expresse ex capit. *Audivimus 1*, caus., q. 3. Per eam enim indigne ac irreverenter tractantur res sacræ, seu spirituales, quod semper est sacrilegium: quod autem sit peccatum mortale gravissimum, clare habetur ex *Act. VIII*, ubi sanctus Petrus in Simonem Magum cum æternæ perditionis comminatione graviter invehendo dicit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniam possideri.* Unde Urbanus II, in cap. *Salvator 8*, caus. 1, quæst. 3, ait: « Nec apostolus emptionem Spiritus sancti, quam bene fieri non posse noverat, sed ambitionem quæstus talis et avaritiam, quæ est idolorum servitus, exhorruit et maledictionis jaculo perculit. » Item quod sit gravissimum peccatum, colligitur ex pluribus sacris canonibus, et signanter ex cap. *Quisquis 5*, caus. 1, q. 1, ubi Simonia vocatur *piacularare flagitium*, capit. *Reperiuntur 8*, caus. et quæst. ead., ubi appellatur *execrabile flagitium*, cap. *Eos qui*, caus. et q. ead., ubi Simoniaci « Judæ comparantur proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit, » cap. *Patet 27*, caus. 1, quæst. 7, ubi Pascalis Papa gravissimum hujus viti malitiam et pravitatem paucis exprimere volens dixit expresse: « Omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hære-

sis quasi pro nihilo reputantur, » et sic ex pluribus similibus.

(4. Simonia dividitur in Simoniam juris divini seu naturalis, et in Simoniam juris humani seu ecclesiastici. Sic Glossa communiter recepta in cap. *Ex part. 12*, verb. *Dimittere*, De offic. delegat., et canonistæ communiter. (5. *Simoniam juris divini seu naturalis* est, quæ prohibetur, quia mala, et repugnans juri naturali ac divino, ut pro re temporali dare vel promittere rem vere spiritualem aut annexam, ver. gr. hostiam consecratam, sacramenta, reliquias, calicem consecratum et hujusmodi. Et dicitur *Simoniam juris divini et naturalis*, quia natura ipsa, seu lumen naturale dictat, nimis indecens malum, et rei sacræ injuriosum esse, res vere spirituales a sola liberali Dei manu dependentes, et omnia temporalia sine comparatione superantes, non ut tales tractare, sed rebus temporalibus æquiparare, et hominum arbitrio, et æstimationi subjicere. (6. *Simoniam juris humani seu ecclesiastici* est, quæ mala est, quia prohibita solo jure humano seu ecclesiastico et non ex natura rei, seu jure divino; et committitur, quando non quidem datur temporale pro spirituali, aut e contra, sed spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali contra legem tamen ecclesiasticam ex motivo religionis positam sub pœnis Simonia juris divini ob periculum et speciem ejusdem Simonia; et dicitur *Simoniam juris humani seu ecclesiastici*, quia ortum habet a sola lege humana seu ecclesiastica; et talis *Simoniam juris humani seu ecclesiastici* committitur in omni permutatione beneficiorum facta sine auctoritate superioris, quia licet per talem permutationis contractum non detur temporale pro spirituali, sed duntaxat spirituale pro spirituali; nihilominus quia tanquam Simoniacum, et sub pœnis Simonia prohibitum est, ne id propria auctoritate fiat. Cap. *Quæsitum 5*, cap. *Cum olim 7*, De rerum permutatione. Item Simoniam ecclesiasticam continet. Item Simoniam juris humani seu ecclesiastici committitur, quando venduntur res, quæ revera tantum sunt temporales, ut cum venditur materia rei spiritualis, quæ secundum se est pretio æstimabilis, verb. grat. sacrum oleum, vel chrisma, quod prohibitum est solo jure ecclesiastico. Cap. *Non satis 8*, De Simonia; vel cum venduntur quædam officia temporalia ordinata ad temporalium rerum Ecclesie administrationem, ut officium thesaurarii, œconomi, sacristæ et hujusmodi; quamvis enim hæc officia sint quid mere temporale, et consequenter in eorum venditione detur solummodo temporale pro temporali, tamen, quia ex quotalia officia ab ecclesiastica potestate et jurisdictione prælatorum a Christo data instituantur, Ecclesia id tanquam Simoniacum prohibuit. Cap. *Si quis episcopus 8*, caus. 1, quæst. 1, cap. *Salvator 8*, caus. 1, quæst. 3, cap. *Consulere 38*, De Simonia, cum similibus, venditio hujusmodi labi, et pœnis Simonia subjacet. Sic in re doctores communiter.

(7. Utraque dicta Simonia, tam juris divini seu naturalis, quam juris humani seu ecclesiastici dividitur in Simoniam mentalem, conventionalem et realem. *Communis*. (8. Simonia mentalis est voluntas, seu propositum internum, quo quis dum dat, seu confert alteri rem spiritualem, intendit illum obligare ad reddendum aliquid temporale, aut e contra dum confert aliquid temporale, intendit illum obligare ad reddendum aliquid spirituale, ut si episcopus confert beneficium clerico, ut ideo in compensationem obligatus sit ei servire, aut clericus serviat episcopo ea intentione, ut in mercedem debitam conferat beneficium, et tandem beneficium conferatur nulla tamen exterius reali, vel signis facta conventionem seu pacto; unde, ut vides, hæc Simonia dicitur mentalis, non quia sit nudum propositum committendi Simoniam, etiamsi in nullum actum exteriorem exeat, uti datur etiam mentalis fornicatio, homicidium et huiusmodi, sed quia licet externum actum habeat, v. g. collationem rei spiritualis pro intenta re temporali, aut e contra; malitia tamen illius Simoniacæ intentionis se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. *Communis*. (9. Et hæc Simonia mentalis, quamvis sine dubio sit grave peccatum a Deo cordium scrutatore districte puniendum, nullam tamen in quacunque materia inducit pœnam canonicam ab Ecclesia infligendam, cum ipsa iudicet solum de externis et manifestis, et talis Simonia mentalis in foro externo probari non possit. Sic doctores communiter per text. in c. *Tua nos* 34, et cap. *Mandato nostro* 46, De Simonia. (10. Simonia conventionalis, quæ supra mentalem addit conventionem seu pactum, est illa, quæ fit cum externo pacto, seu conventionem expressa, vel tacita dandi, vel recipiendi quidpiam spirituale pro temporali, aut temporale pro spirituali, conventionem tamen nondum impleta saltem ex utraque parte: adeoque iam gravius peccatum, quam Simonia mentalis; unde committitur Simonia conventionalis, non tantum, quando v. g. collato beneficio, non est solutum pretium, aut quando soluto pretio, non est collatum beneficium, sed etiam quando neutrum datum est, si de dando pactum, seu conventio præcesserit. Sic communis doctor. per textum in cap. *Cum essent* 13, De Simonia. (11. Et hæc Simonia conventionalis nullam adhuc inducit pœnam canonicam, non solum quando conventio ex neutra parte impleta est, ut tradit communissima doctorum, sed etiam quando est iam impleta ex una parte, et id non solum, si quis rem temporalem v. g. pretium dedisset, spirituale tamen v. g. beneficium nondum recepisset, quia iura imponentia pœnam Simoniacis requirunt traditionem rei spiritualis: verum etiam, si spirituale iam datum esset, sed temporale nondum receptum; sic ex communi docent Sanch., *Consil. moral.*, lib. II, cap. 3, dub. 10, num. 106; Reiffenst., *loc. cit.*, num. 229; Navarr. in *Manual.*, cap. 23, n. 104; Lessius, lib. II, cap. 35, dub.

27, et alii testantes, ita servare stylum curiæ, qui habetur pro jure et lege juxta communem doctorum. Arg. c. *Ex litteris* 11. De constitutionibus, et c. *Quam gravi* 6, De crimine falsi: at de hoc fusius *infra* art. 3.

(12. Simonia conventionalis alia vocatur *vire conventionalis*, et est illa, quæ sistit in pura mutua conventionem, et ex neutra parte traditionem rei conventæ impleta est; et alia vocatur *conventionalis mista*, et est illa, quæ ultra mutuam conventionem iam saltem ex una parte traditionem rei conventæ impleta, et consummata est, et dicitur *mista*, quia participat aliquid de pure conventionali, nempe mutuam conventionem, et aliquid de Simonia reali, nempe traditionem rei conventæ saltem ex parte unius contrahentis. *Communis*.

(13. Simonia realis, quæ supra mentalem et conventionalem importat executionem utrinque factam, est quando conventio danda re spirituali pro temporali, aut e contra, ex utraque parte completa est, saltem inchoative, spirituali scilicet dato, et temporali saltem ex parte recepto, ut si conventa collatio beneficii facta iam sit, et pretii saltem pars sit soluta. Et hæc realis et completa Simonia inducit gravissimas pœnas canonicas, de quibus fuse *infra* art. 3. *Communis*.

(14. Ultra supradictas alia additur species Simoniacæ, quæ dicitur *Confidentialis*, seu *Confidentia beneficiorum*; et est, seu committitur, cum quis alicui dat, vel confert, aut resignat beneficium ecclesiasticum, vel ad illud præsentat, et eligit, seu electum vel præsentatum instituit et confirmat cum certa confidentia et obligatione, id est cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut tanquam ex debito illud sibi met, vel alteri, ut fratri, nepoti, amico certo tempore iterum cedat seu resignet, aut ex eo pensionem, vel certam partem fructuum tribuat. *Communis*. Et clare patet ex constitutione 85 S. Pii IV, incip. *Romanum Pontificem*, et ex constitutione 85 S. Pii V, incip. *Intolerabilis*, ubi declaratur, quando et a quibus committatur dicta *Simonia confidentialis*, quomodo ob eam incurrantur pœnæ, et quomodo in foro externo probari possit; unde ad uberiorem et faciliorem notitiam hic ad litteram datur illa sancti Pii V, incip. *Intolerabilis*.

15. *Declaratio casuum, ac præsumptionum in causis confidentiæ beneficiæ contra quoscunque etiam S. R. E. cardinales cum appositione pœnarum.*

« PIUS V, etc.

« Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, sæpe illarum auctores in necessitatem adducit, cautius providendi, quo pertinaciam animi ab improbis conatibus graviore sanctione proposita reprimentur.

§ 1. « Bene quidem, et providenter fel. rec. Pius Papa IV, prædecessor noster, ad

tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam statuit et decrevit.

§ 2. « Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hæc perniciem Ecclesiam, et animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes, et singulas causas ipsas ubicunque, inter quoscunque molas ad nos advocavissimus, et omnimodam huiusmodi causarum præsentium et futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis et successoribus nostris reservavissimus, et super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde, nec levibus conjecturis intelleximus, vitium quidem confidentiæ occulte irrepsisse, sed plerisque causis præsumptiones et conjecturas quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem huiusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in iudiciis confidentias ipsas, contempta constitutione prædicta, ecclesias, monasteria, et beneficia sic recepta ut prius retinere, alios, fructus, pensiones et alias res accipere; alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa beneficia jure retinere nequeunt, alii ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios repetunt, et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis et inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt in alios, qui vel profanam familiam de fructibus ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris asservent, sacro interdum circuitu retrocessionis cum reservatione fructuum et aliarum rerum, aut accessu, præsertim ab illis, qui præstandorum jurium Cam. Ap. sunt immunes, alii aut incapaces, aut alii beneficiis ecclesiasticis onusti, seu ecclesiastico ordine sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum; ad hæc plerique ordinarii, et collatores, ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus seu pensiones capiant eorumdem, aliisve faciant ministrari: alia item permulta huiusmodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinæ ecclesiasticæ nervus

dirumpitur, et imminens patrat exitium animarum.

§ 3. « Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi juris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus:

« Ut si quis quacunque auctoritate, ecclesiam vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque, ex resignatione vel cessione cujuscunque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittatur, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur.

« Item si ordinarius, vel alius collator contulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum quovis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio collatoris, seu alterius cujuscunque contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut eo provisu, fructus illius, vel partem, ad utilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinquat, et remittat, seu pensionem illi vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per se, vel per alium scripto aut verbo jusserit, seu significaverit, persolvat, et pariter si a patrono etiam laico, vel alteri præsentatori seu electori contingat id fieri.

« Ad hæc si clericus prædictæ cameræ, aut cardinalis, aut alius a solutione jurium ipsius cameræ, vel etiam cancellariæ Apostolicæ exemplis, post resignationem, vel cessionem alicujus extranei, de ecclesia, monasterio vel alio beneficio ecclesiastico in se, Apostolica vel alia auctoritate factam et admissam, illam vel illud etiam confectis litteris Apostolicis, et possessione apprehensa, in eundem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, et ex illa retrocessione fructus ecclesiæ, seu monasterii, aut beneficii, vel eorum, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, et ingressus ad illam, vel illud ipsi clerico, vel cardinali, aut alii exempto sit fueritve concessus.

« Postremo, si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacunque auctoritate ecclesiam, monasterium vel aliud beneficium, quod ante vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum confidentiæ pravitas sit contracta, casusque huiusmodi litteris prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§ 4. « Ad probandum vero plene confidentiarum abusum, inter alia etiam hæc præsumptiones et conjecturæ habeantur legitimæ. Videlicet:

« Si quis post cessam ab se ecclesiam, vel monasterium, aut beneficium, et publicam resignationem, seu cessionem, captamque a successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque successor illi, vel ejus propinquis ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem.

« Si recipiens beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, aut propinquos, procuratores ad percipiendum vel locandum fructus beneficii dimissi, et illi vel illis de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit.

« Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint.

§ 5. « Denique si quis pro concessione alicui facta, quacunquē auctoritate de beneficio ecclesiastico, per se, vel alium, seu alios intercesserit, vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quodcumque.

§ 6. « Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant præsumptiones et conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones et conjecturæ plenam probationem faciant in prædictis.

§ 7. « Cæterum criminosi et cæteri omnes, qui ad perhibendum in casibus Simonie testimonium, recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.

§ 8. « Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se iudicii, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censuræ stimulo usquequaque prohibeatur, omnes et singulos, qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reversi, et resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis obtentis, quæ pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus et aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanæ curiæ, et aliis officiis temporalibus præsentium auctoritate privamus, et ad futura inhabiles decernimus, et in juris subsidium excommunicamus,

ratione ecclesiarum et monasteriorum, quorum dispositio in consistorio fieri consuevit, aut debet, itemque contra ordinarios collatores, episcopos et alios superiores prælatos, etiam cardinales haberi contigerit, uti jam aliis nostris litteris statutum est, audiendis, decidendis et terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, sublata eis et ipsorum quicumque aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari, interpretari et definiri debere, necnon irritum et inane quidquid secus in prædictis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 9. « Quocirca omnibus locorum ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, diocesis et locis etiam exemptis ad prædicta studiose attendant, et quatenus illis relaxavimus in delinquentes severe animadvertant, si divinæ majestatis iudicium, dictæque sedis censuram voluerint evitare. In cæteris vero causis et negotiis (Nobis, et prædictis successoribus exceptis) eosdem locorum ordinarios præsentium auctoritate delegamus, ut gratia et favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra prædictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirent, suasque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad prædictam Sedem quamprimum transferant; ut Nos, et prædicti successores, in causis hujusmodi procedentes, quod justum fuerit, decernamus. Non enim singulis ordinariis ipsis prædictos omnes, et quoscunque alios etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constituto prius summarie, et extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu citandi et monendi, eisque, ac iudicibus ordinariis et delegatis, aliisque personis quibuscunque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediunt, vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscunque per censuras et poenas ecclesiasticas, ac omnia alia juris, et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii sæcularis, quodcumque opus erit, invocandi, cæteraque in prædictis omnibus et singulis necessaria faciendi et exsequendi plenam et liberam tenore præsentium concedimus facultatem.

§ 10. « Non obstantibus fel. rec. Bonifacii VIII, prædecessoris nostri de una, et in concilio generali edita de duabus dictis

bum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant per quæ præsentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum præsentium, aut attributæ prædictis ordinariis jurisdictionis explicatio seu exercitium, vel executio impediri valeat quomodocunque, vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 11. « Litteris prædecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

§ 12. « Volumus autem, ut præsentium exempla etiam impressa edantur, eaque notarii publici manu, et cujuscunque curiæ ecclesiasticæ, vel prælati sigillo obsignata eandem illam prorsus fidem, in iudicio, et extra ubique locorum faciant, quam ipsæ præsentibus facerent, si essent exhibitæ vel ostensæ.

« Nulli ergo omnino, etc.

« Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Domini 1369, Kal. Junii, Pontific. nostri anno 4. »

(16. Materia Simonie est res spiritualis seu spirituali annexa. *Communis*.

(17. Per rem autem spiritualem pro qua tanquam materia, seu merce datur temporale vi Simonie, non intelligitur res incorporata, ut angeli, seu anima rationalis, sed omne et solum illud, quod aliquo modo donum supernaturale est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem pertinet, et ad spirituale animæ salutem ex institutione divina, vel humana est ordinatum. *Communis*, arg. cap. *Gratiæ* 1, cap. *Qui studet* 11, caus. 1, quæst. 1, cum similibus.

(18. Et hujusmodi res spirituales sunt omnes gratiæ gratum facientes, et gratis datæ. Omnia sacramenta et sacramentalia. Omnia divina officia, et orationes publicæ et privatæ. Omnis actus jurisdictionis ecclesiasticæ, ut absolutio a peccatis et censuris, collatio indulgentiarum, dispensatio in votis et juramentis, electio, postulatio, præsentatio, nominatio, institutio, collatio, investitura cujuscunque beneficii, officii ac dignitatis ecclesiasticæ, et hujusmodi, quæ ne Simoniacæ præstentur seu efficiantur, passim prohibetur. Sic doctores communiter per text. *Actor. apostolor. viii*, 20, ibi: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* — *Matth. x*, 8, ibi: *Gratis accepistis, gratis date.* Cap. *Gratiæ* 1, cap.

gitur illa, quæ quidem in se, et intrinsece spiritualis non est, sibi tamen annexam et conjunctam habet rem spirituales, indeque materia seu merx Simonie ingreditur. *Communis*. Arg. cap. *Si quis dator* 2, cap. *Si quis episcopus* 3, cap. *Quæsitum* 4, c. *Si quis objecerit* 6, caus. 1, q. 3.

(20. Et hujusmodi res spirituali annexæ sunt juspatronatus, redditus beneficiorum, pensiones, primitiæ, decimæ, oblationes seu jura has percipiendi, labor actualis in administratione sacramentorum et celebratione missarum, templa, altaria, calices, vasa et paramenta sacra, Agnus Dei, et omnes aliæ res consecratæ seu benedictæ, quæ omnes ratione et intuitu talis connexionis cum consecratione seu benedictione, vel cum beneficio seu officio, aut ministerio spirituali sunt materia seu merx Simonie; unde qua tales vendi et emi, et in commercium poni passim prohibetur in jure, ut notant communiter doctores per text. in cit. cap. *Si quis dator* 2, cap. *Si quis episcopus* 3, cap. *Quæsitum* 4, cap. *Si quis objecerit* 7, cap. *Sulvator* 8, cap. *Ex multis* 9, cap. *Res Ecclesiæ* 12, cap. *Pervenit* 13, cap. *Altare* 14, et cap. *Si quis præbendas* 15, caus. 1, quæst. 3, cum similibus.

(21. Pretium Simonie juris divini est omnis, et sola res temporalis, quæ datur vel offertur pro re spirituali vel spirituali annexa. *Communis*, per text. *Act. apostolor. cap. viii*, vers. 20; *Matthæi* cap. x, num. 8; cap. *Gratiæ* 1, cap. *Quisquis* 5, cap. *Reperiuntur* 7, cap. *Qui per pecuniam* 9, cap. *Qui studet* 11, cap. *Eos qui* 21, c. *Nullus episcopus* 124, caus. 1, q. 1, cap. *Non satis* 8, cap. *Cum in Ecclesia* 9, cap. *De hoc* 11, cap. *Nemo* 14, cap. *Ad nostram* 21, cap. *Ad aures* 24, cap. *Nobis fuit* 27, cap. *Suam* 29, De Simonia, cum similibus.

(22. Dicitur autem notanter pretium Simonie juris divini, quia pretium Simonie juris ecclesiastici potest esse etiam aliquid spirituale, ut patet in materia beneficiorum, quæ licet sint quid spirituale, nihilominus si propria auctoritate fiat illorum commutatio aut transactio in materia, committitur Simonia juris ecclesiastici, quamvis solum detur spirituale pro spirituali. Cap. *Quæsitum* 5, cap. *Olim* 7, De rerum permut., cap. *Cum pridem* 4, De pactis, cap. *Constitutio* 4, De transact.

(23. Extra tamen materiam beneficiorum nunquam committitur Simonia, etiamsi propria auct.